



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

13. Vos estis sal terræ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

13. *Vos estis sal terræ.*

CORRUMPIT hunc locum Calvinus hoc modo. *Quod proprium* (inquit) *est doctrinæ, ad personas transfertur, quibus commissa est eius administratio.* Moxq; impotenter in Catholicos inuehitur, qui ad Ecclesiarum Episcopos ista accommodant. Cæterum ad personas ipsas Apostolorum & successorum eorum Christus loquitur. Ipsos esse ait sal terræ: ipsos ait infatuari posse & nihil ultra valere, sed cõculcari, etc. Doctrina ipsa veritatis infatuari non potest, sicut nihil ultra valeat. Quantumcumque enim à falsis magistris contaminetur, eius tamen puritas illibata manet: nec nostrum affirmare vel negare aliquid ponit in re. *Euangelium est virtus ad salutem omni credenti, utcũque hæretici conuertant & peruertat illud.* Verum quid est, Apostolos & eorũ successores non nisi ratione veræ doctrinæ quam docent, *saltem esse terræ*: ipsi tamen sunt qui docendo terram saliant .j. qui vel putrida hominum corda sapore veræ fidei condiunt & vitæ restitunt, vel sanas iam hominum voluntates puritate doctrinæ conseruant. Doctrina sine doctoribus muta litera est, & materia informis, nec salendi vllam vim habet. Sicut Rex hoc differt à tyranno, quod non nisi secundum leges & æquitatem regnum administrat, Reges tamẽ ipsi non leges, Rempub. regere, administrare, in officio continere, propriè dicuntur; sic verus pastor à lupo in hoc differt, quod non nisi veram & sanam doctrinam administrat, Pastores tamen ipsi (non eorum doctrina) pascere dicuntur, & propriè pascunt, ideóque *sal terræ* sunt. Hæretici à personis ad doctrinam confugiunt,

Rom. 1.
Gal. 1.Pastores
sunt sal
terræ.

fugiunt, vt ouiculas Christi à Pastoribus abdu-
ctas sub specie veræ doctrinæ lupis committant,
vel vt seipfos pro lupis gerant, & abducant discipu-
los post se.

Corrup-
telæ Cal-
uinianæ
scopus.
Act. 20.

17. *Non veni legem soluere, sed adimplere.*

PRODIGIOSA est hoc loco Caluini
corruptio. Summâ verborum Christi hoc
esse vult. *Hic (inquit) de doctrinâ agitur, non de
vita. Nam quoad doctrinam nulla nobis in Christi aduen-
tu fugienda est legis abrogatio. Rursum. Sensus clarus est,
reiectum iri tanquam postremos hominum, qui legis doctri-
nam vel in vna syllaba contemptibilem reddunt. Hæc ille.
Christus igitur in sensu Caluini legem nō soluit,
sed adimplet, quia eius doctrinam non tollit, sed
statuit & confirmat. vnde iterum addit. Christus in
Ecclesiâ suâ admittendos negat doctores, nisi qui fidi erunt
legis interpretes, & integram eius doctrinam asserere stude-
bunt. Hæc ille. Obedientiâ legis & exequutionem
à Christo hoc loco doceri nō admittit Caluinus,
sed tantummodo vt promulgato Euangelio lex
quoque mandatorum doceatur quidem & fideli-
ter explicetur, opere tamen aut à nullo implea-
tur, quia à nullo impleri potest, aut non necessa-
riò impleri debeat. Nam propterea libertatē non
implendi legem, quâ Caluinus sibi arrogat, cum
his Christi verbis non pugnare, hoc ipso in loco
Caluinus ait. Quod (inquit) abrogata maledictione le-
gis, seruitus quoque eius est sublata, & parta fidelibus liber-
tas, nihil inde legis doctrinæ deccedit. Hæc ille, libertatē
statuens non qua lex liberè & ex dilectione im-
pleatur, quæ est vera fidelium libertas, sed qua ad
legis exequutionem fideles nō obligētur. Quam
etiam ob causam, illa Christi verba, *Non præteris**

Legem
quomodo
Christus
adimplet,
nō soluit.

Lex iuxta
Caluinū
docet tan-
tum, non
obligat.

D bit